



18
1946 11
8
PROGRAMMA,

QVO

RECTOR ACADEMIÆ GRYPHICÆ,
AUGUSTINUS BALTHASAR,

J. U. D. ET PROF. COD. ET JUR. CAN. ORDIN. FAC. JURID. SENIOR
ET JAM DECANUS, REG. CONSISTORII NEC NON SOCIET.

TEUTON. GRYPH. DIRECTOR,
H. A. SACRÆ CÆS. MAJ. COMES PALATINUS,

AD FESTIVITATEM
GLORIOSÆ RESURRECTIONIS

SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI

PIE AC DEVOTE CELEBRANDAM

P. 351
CIVES ACADEMICOS

EXCITAT,

ET, SUMTA A SEPULCHRO CHRISTI OCCASIONE,
DE LOCIS RELIGIOSIS

QVÆDAM NOTATU DIGNA ADFERT.

IMPRIMEBAT HIERON. JOH. STRUCK.



PROGRAMMA

RECTOR ACADEMIE
AUGUSTINUS BARNHART
AD FESTE TATEM
OLIGOSI RESTRICIONES

RECTOR ACADEMIE
IN ACADEMICIS
GIVES ACADEMICOS
EXITAT

DE LOGIS RELIGIOSIS
QUODAM NOTATU DIGNA ADHUC

IN FINE

155





tertium ab hinc diem, *CIVES OPTIMI*, si pia mente recolitis, animi vestri non nisi summa tristitia implicabuntur, imo tristes memoria ejus diei pectus vestrum effodet. Hac enim est illa dies, non communibus lachrymis, sed calidissimo sanguine deploranda: Cum, veluti proscripta lenitate ac misericordia, gravissima Dei fulmina detonarent in filium ejus unigenitum, omnes Furiarum exercitus consurgerent in Principem cœli, omnis atrocitas hominum conspiraret in sui conditorem, & velut ex compacto rebellis creatura ad necem Domini sui tela vibraret. Monstrosa dies, cui similem sol nunquam vidit. Ludibrio exponitur & flagellis dilaceratur ab objectissima nebulorum fece summa Majestas; Criminis accusatur ipsa innocentia, absoluta secundum Leges, & tamen damnata; Quem sceleris nullius compertum judicaverat *PILATUS*, ducitur in communis supplicii locum, cruci affigitur summus ille terrarum & siderum conditor, inter duos latrones medius. Morte succumbit ac sepulchro (*) includitur Deus immortalis, creator
a 2 hujus

(*) Proxima ab hac vice, cum adhortationem, publicam ad pie subeundum festum natiuitatis Christi, ad vos, *CIVES ACADEMICI*, miserim, de rebus *SACRIS* atque *SANCTIS* quædam in medium

hujus universi præpotentissimus, dominus mortis ac gehennæ. Omnis ideo natura luctu affecta Regi suo moribundo justa persolvit, dum, rerum ordine convulso, funditus tremefacta, & meridianis tenebris flebiliter atrata, & diffilientibus faxis dila-

attuli: Jam, operæ pretium & a scopo præsentis haud alienum esse, mihi videtur, occasione *Sepulchri Christi*, non nulla de LOCIS RELIGIOSIS, in vestrum gratiam, addere. *Religiosum est, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est. Verbum a relinquendo dictum, tanquam ceremoniæ a carendo,* ut est apud AUL. GELLIUM *Lib. IV. cap. 9.* & M. TULLIUS *Lib. IV. de Rep.* sepulturam sanctam significat his verbis: *Eosdem terminos hominum curæ atque vitæ. Sic Pontificio jure sanctitudo sepulture.* Nullus itaque locus in se, seu ex ordinatione divina, est religiosus, ut cultus quidam divinus eidem exhibendus, nulla sanctitas mortuis, nec sepulchris eorum est, tribuenda. Ita, ut nec tumulo Moyse, ut ut ab ipso Deo condito, *Deut. XXXIV. 6.* modo innotuerit, præ reliquis ullam tribuamus sanctitatem. Potius Deus locum sepulchri ejus voluit absconditum, ne cultui religioso idololatrico, ut Satanas intendebat, v. *Epist. Jude v. 9.* ansam præberet. Imo, nec sepulchrum Christi præfulget aliqua sanctitate. Abhorremus potius superstitionem Pontificiorum, qui sepulchrum Christi, cujus tamen genuinum vestigium ne quidem extat, ad summam superstitionem usque religiose venerantur, ut, nescio, quid commodi vel salutis ex aditione ejus sentire, sibi persuasum habeant. Pro cujus defensione ac conservatione olim Papa tot myriades hominum Martis furori consecravit.

Interim tamen, cum primis incunabilis religionis Gentilium hæc quasi connata videtur superstitio, quod sepulchra Diis inferis ac divinis Manibus, seu animabus defunctorum, sacra dicataque habuerint. Credebant enim, animas defunctorum adhuc post mortem amare pristinum suum domicilium, ideoque soluto licet inter animam atque corpus vinculo, adhuc tamen vel in corpore, vel in tumulo, vel supra eum circumvagari. Unde Romanis inprimis in usu erat, supra Sepul-

dilacerata, & repentino sepulchrorum hiatu eviscerata, parentali nania ululavit. Invadit dolor caelos solemque, qui atro amictu funus persequerantur; terra sinus aperiebat, ut mortuo præberet tumulum. Excubiebantur mortui suis sepulchris,

Sepulchra splendida exstruere monumenta, diviis manibus sacrata, ut ex inscriptione D. M. S. multis antiquis marmoribus insculpta, perspicimus. Qua de re videtis JAC. GUTHERUM de *jure Manium* L. III. c. 1. Hæc loca paulo spatiosiora erant ipso sepulchro, muris cincta & accuratissime determinata, hoc modo, ut ex veterum inscriptionibus constat: IN FR. P. X. IN AGR. P. XX. h. e. in fronte, scilicet in latitudine, pedes X; In agrum, i. e. in longitudinem, seu porrectum, pedes XX. v. BRISSON. *antiquit. Rom.* L. VII. *formul. p. 700.* Religiosum autem locum quemlibet propria auctoritate facere poterat, mortuum, in primis caput, quod sedem animæ esse statuebant, in locum suum inferendo. v. *J. g. J. de R. Div. l. 6. ff. h. t.* nihil autem refert, liberi hominis, an servi sit corpus. l. 2. *de relig. & sumt. fun.* Requirebatur tamen, ut Pontifices decreverint locum sepulture & ab iis justa soluta sint sepultis. FR. du ROY in *Inst. j. Can. L. II. T. XI.* Quo facto, hæc loca inviolabilitate erant munita, ita, ut in violatores gravissime animadverteretur. v. *t. t. ff. & Cod. de Relig. & c. & Sepulchr. violat.* Nec ulli unquam destructioni absque publica Pontificis auctoritate subjecta erant; Hinc M. TULLIUS *Philippica IV.* inquit: *Sepulchrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri atque deleri potest, atque ut cætera extinguuntur, sic Sepulchra sunt sanctiora vetustate.* Præterea animas corporei quid continere ac cibis vesci statuebant, unde & epulas Manibus defunctorum parabant, quas *silicernium*, Germ. *Seelen-Speise*, appellabant. Qui mos non tantum Græcis atque Romanis, sed & Germanis, nec non præcis maris Balthici accolis gentibus frequenter in usu fuit. De quo maxime notabilia adfert CHRIST. KELCHIUS in *der Liefländischen Historie P. I. pag. 28.* nec non PAUL. EINHORNIUS, Superint. Curlandiæ, in *Historia Lettica*, & ex iis

chris, velut arma sumturi ad vindictam. Tota natura classicum canebat. Sed, quorsum hæc omnia? Ita, *CIVES DILECTISSIMI*, in consilio S. Sanctæ Trinitatis erat decretum, ita ab ipso Salvatore nostro libere ac sponte erat proba-

M. PHIL. CHRIST. HANOIJUS, Prof. Gedan. in *Disp. de filicernio, maxime veterum Curonum. Sect. I. §. 10. sq.* Ged. 1728. ventilata. Fustes quoque tumbis imponebant, vel terræ, supra tumulum congestæ, in forma crucis infigebant, ut, si ad rixas forte perventum fuerit, habeant, quo vini imminentem a se depellere valerent. O! crassam simplicitatem, imo. stupendam animi cecitatem!

Romana Ecclesia, in plurimis paganizans, superstitionem Ethnicam novis inventis, pro interesse status sui excogitatis, etiam hac in re fere superavit. Quamvis enim jure Pontificio non amplius privata autoritate locus sit religiosus, sed magistratus autoritate locus publicus dormitoriis corporum fidelium destinatur, per consecrationem tamen, ad minimum benedictionem Episcopi accedentem, his locis non solum religiosi quid, sed & sanctitatem conciliari statuunt. v. BE-SOLD. & MANZ. in *Com. ad §. 9. J. h. t.* Ut itaque Pontificiis Cœmiterium res religiosa & benedicta sit, sicut altare res sacra & benedicta. v. STRYCK in *U. M. ff. Tit. de Rev. div. §. 5.* DESSEL. in *Erot. j. Can. Tit. de consecrat. Eccles. qu. 3.* Porro, eum jam Sec. IV. nascentis Ecclesiæ Christianæ in usu essent Agapæ, pedetentim quoque invaluit, ut pro animabus defunctorum oblationes offerrentur & publicæ preces & pro donis oblatis gratiarum actiones instituerentur; Hæc siquidem liberalitas pro opere quodam meritorio, quo celerior defunctis liberatio a purgatorio & faciliior accessus ad cœlum conciliaretur, habebatur, & communionem quandam etiam cum defunctis indicabat, a qua postea peccatores & qui extra communionem ecclesiæ fuere, excludebantur; Unde separata species *Banni Mortuorum* orta. v. ECKHARD. in *Com. ad SCHIL T. Inst. J. Can. Lib. II. Tit. XIV. §. 14. n. 57. seqq.* Ut taceam, in hunc usque diem aliquid superstitionis paganæ deprehendi in crucibus ligneis, quas sepulchris defunctorum ubivis fere locorum impositas videmus.

Merito

probatum, ut se offerret in sacrificium pro omnibus peccatis mundi. Iustitiæ enim divinæ erat satisfaciendum, nec sine satisfactione sufficiente ulla speranda erat peccatorum remissio, nec salutis nostræ amissæ restauratio. Nemo autem mortali-
 lium

Merito autem hęc superstitionis inventis nuncium misit Ecclesia nostra reformatæ pristinæque suæ puritati restituta. Non enim apud nos loca agnoscimus religiosa, quibus sanctitatis quid inesse statuimus, nec quoque ulla ipsis impertitur benedictio, sed nomen saltem religiosi in sensu abusivo retinemus. Nec alium de hac religiositate fovemus conceptum, quam qui in res sanctas, quæ jure humano a violatione hominum exemptæ sunt, quadrat. Ideoque eadem muris septisque ab aliis locis separamus, ne bestiis pateat aditus, vid. STRYCK. in *U. M. ff. cl.* BOHMER in *J. Par. L. IV. T. 2. §. 8.* ECKHARD. in *Com. ad SCHILT. cl. num. 39. & 85.* HOPP. in *Com. ad §. 6. all. Inst. in U. M.* Non minus & reliqua omnia, quæ paganam sapiunt Theologiam, vel potius superstitionem, respuimus ac abominamur.

Operæ autem videtur pretium, in causam hujus religiositatis, quam Gentiles æque ac Pontificii his locis tribuere, inquirere. Quemadmodum superstitioni plerumque aliquid veri & causæ subesse solet, quo cum sua inventa falso nexu conjungit imbecilla hominum ratio, ita, ut jam alibi observavimus, potiores Gentilium cultus sacri idolatrici, quos deinde Ecclesia Pontificia, prout suo interesse convenire judicavit, ab his quasi mutuo accepit sibi que fecit proprios, fundamentum habent in Sacra Scriptura, vel traditione Ecclesie judicæ, ad reliquas gentes, admodum tamen corrupte transmissa. In hac materia hujus asserti novum deprehendimus argumentum, ex quo colligimus, homines gentiles, superstitione a teneris imbutos, exempla Patriarcharum aliorumque in Sacra Scriptura obvia, in malam traxisse partem. Legimus enim in Sacra Scriptura, Patriarchas ossa defunctorum sollicitè condidisse, & quasi post mortem consortium cum suis exoptasse; ut patet ex *Genes. XXIII. 19. XXV. 10. XXXV. 27. & 29. XLVII. 29. seq. L. 25.* optime licet gnari,
 cor-

VIII

lium huic muneri par erat. Superabat ardua hæc res omnes vires mortalitatis. Solius Dei opus erat. Quod itaque nemini mortalium possibile erat, id a Servatore nostro ad exoptatum finem fuit perductum. Hic alter Adam plene extinxit debitum, quod prior contraxerat.

Illuxit

corpus atque ossa post mortem nulla amplius gaudere sensibilitate, terramque ubique locorum esse Domini. Quæ itaque ratio: quod Patriarchæ adeo anxie terram Canaan in dormitorium suum exoptaverint? Sane, nulla alia reddi poterit, quam, quod hi viri sancti ex præfagio divino, vel instinctu quodam prophético, præviderint, Salvatoris nostri conditorium quondam in hac terra fore, & tempore mortis ejus multos fideles e mortuis resuscitatum iri, in quorum consortio tempus suæ resurrectionis anticipare anhelarunt. Sed, absit, ut inde loco, qui corpus Christi texit, vel micam tribuamus sanctitatis. Porro 2. Reg. XIII. 21. seqq. legimus historiam miraculi plenam, cum mortuus quidam sepultus & casu injectus fuerit in sepulchrum Prophetæ ELISÆ, cadaver illud quam primum tetigit ossa Prophetæ, hominem revivixisse & super pedes suos stetisse. Hoc miraculum, quod solius Dei virtute peractum, & casu plane fortuito extitit, nullam tribuit sanctitatem sepulchris Sanctorum, nec virtutem aliquam sanandi aut juvandi reliquiis eorum. Interim tamen hoc exemplum superstitioni ansam dedisse hominibus, non absque ratione judico; Quam etiam sanctum Dei, puta ecclesiam Christi, invasisse, mirum est. Inclinate enim in superstitionem ecclesia Pontificia, hujus Patres, sanctitatis quid sepulchris Sanctorum inesse credentes, magnis itineribus non tantum ad sepulchrum Christi, ut antea audivimus, sed etiam ad sepulchra Sanctorum contenderunt, aliasque quam plurimas imposturas cum eorundem reliquiis, ad decipiendam plebem & ditandos loculos suos, exercuere. Frustra præsidium quærentes in hoc miraculoso exemplo. Miraculum enim hoc non virtute sancti Prophetæ, sed ipsius Dei, ut jam antea monuimus, contigit; Nec etiam homines ex proposito ad ELISÆI sepulchrum adduxerunt mortuum, ut contactu ossium ejus resuscitaretur; quasi tunc fuerit consuetudo in populo Dei, con-

Illuxit hodie, *CIVES DILECTISSIMI*, exoptatissimus
 lætissimusque ille dies gloriosæ resurrectionis Salvatoris
 nostri *JESU CHRISTI*, dies victoriæ ac triumphi, quo
 maxi-

concurrendi ad sepulchra Prophetarum, seu Sanctorum, ut votis & invocationibus gratiam & virtutem apud ossa mortuorum quærerent, sed inopinato casu hoc factum esse, nemo non videt.

Haud tamen superstitione Pontificia in hoc substitit; sed tempore crevit. Olim enim mortui omnes extra urbem sepeliebantur, id quod jam apud Græcos observabatur & apud Romanos Lege XII. Tab. erat cautum. v. *CICERO de LL. Lib. II. c. 23.* *JUL. PAUL. recept. sent. L. 1. T. 21. §. 3.* ibique *SCHULTING.* in *not.* Quam legem deinceps Imperatores Romani non una vice confirmarunt. v. *LEYSER in Med. ad ff. sp. 129. m. 6.* *ECKHARD. al. §. 14.* Eundem morem quoque apud Judæos obtinuisse, ex ipsa sepultura Christi, quæ extra moenia urbis in horto facta, colligunt, idque defendit *THOMASIVS* in *Disp. de Jure Principis evangelici circa solennia sepulture §. 8.* sed contrarium idoneis argumentis adstruit *LEYSER, cl.* Nec quoque hic mos, legibus civilibus confirmatus, destituitur ratione, cum alias periculum sit, ne fœtor cadaverum putrescentium homines sanos afficiat, quem ventus alias in loco undiquaque aperto facilius dissipat. v. *CARPL. Jprud. Eccl. L. II. Def. 385. n. 1.* *ZIGLER.* ad *LANCEL. L. II. T. 24. §. 1.* *BRUNNEM. J. Eccles. Lib. II. cap. 2. §. 12.* Unde & *THOMASIVS all. Disp. cl.* & in ultima *Thesi Jurisprud. divine* adjecta, eadem ratione suffulcus, mortuos in urbe, imprimis in Templis, sepeliri, juri naturæ repugnare, statuit.

At enim vero, ingruente *Sec. IV.* superstitione non tam mos sepeliendi mortuos intra moenia urbis, sed deinde quoque prope Temples, imo ipsis templis inferri, invaluit. Temples enim quam primum Ecclesia pace externa donabatur, plerumque tumulis sanctorum Martyrum imponebantur, & sub eorum altaribus condebantur reliquiæ Sanctorum, quæ loca omnia sancta & religiosa habebantur; Quo propius itaque ossa defunctorum apponebantur ossibus Sancto-

X

maximus ille vindex ac parens nostræ libertatis mortem nostram moriendo destruxit & vitam resurgendo nobis restituit. En itaque! mirabilem omnium post homines natos metamorphosin!

rum, eo magis ab ipsa sanctitate sancti Martyris se post mortem participare credebant homines, ideoque quam maxime his vicina sibi expetebant dormitoria. In qua superstitione haud parum confirmabantur factio ipsius Imperator. CONSTANTINI M. qui ex opinione religionis in atrio ecclesiæ corpus suum condi curaverat. Quod alii in exemplum trahebant, qui non minus superstitione inducti, sibi persuasum habebant, in consortio Sanctorum tempore resurrectionis faciliorem sibi in cælum patere aditum. Equidem huic superstitioni obviam itum fuit, uti videre est ex *l. 6. C. Theod.* verum nimis altas jam egerat radices superstitionis, quam iterum extirpari, inanis erat laboris. Donec ulterius frena eidem laxabat Imper. LEO, *Nov. 53.* tam intra quam extra urbem mortuos sepelire cuique permittendo. Ubi Seculo X. Coemiteria prope, Ecclesiam in urbibus orta. Tandem, Clericorum avaritia omnem modum excedente, etiam in atris, porticibus & exhedris sacrarum ædium mortuos sepeliri, indultum fuit. *qu. 13. c. 2. Precipiendum.* Quæ loca tamen nemini, nisi cuius luculenta in Ecclesiam atque Clerum extabant merita, indulgebantur; cumque Chorus capiti sancti impositus haberetur, ejusque reliquæ sub altari includerentur, ideo hic locus, tanquam ossibus sancti proximus, præcipue spectabilis ac sanctitate corruscans existimabatur, qui insigni pretio erat redimendus. Nescio itaque, num ne hodiernum superstitioni sit adscribendum, quod locus dormitorii in Choro majoris habeatur pretii, quam alius in navi vel inferiori parte Templi situs, ut ut terra utroque loco ejusdem sit bonitatis.

Ex his, *CIVES OPTIMI*, colligere licet, quam noxia religioni sit superstitionis, quam fecunda sit mater errorum & in qua devia abducat homines; quousque serpat & quam difficile, ubi primum radices egit, ex animis hominum eradicari queat. Precamini itaque Deum, ut mentes nostras veritate sua collustreret, & Spiritu veritatis nos regat.

phosin! Qui nudius tertius in horto Gethsemanes ab infernalibus doloribus oppressus, qui inter mortis metus maximos & sanctissimæ animæ corporisque cruciatus derelictus a Deo, sanguinis grumos sudavit, qui creator universi ab Angelo, creatura sua, confortatus, qui tandem ad locum supplicii protractus, injuriis blasphemis affectus, columnæ alligatus, flagellis quassatus, tandem in medio latronum cruci affixus, inter cælum & terram pendens ignominiosam mortem subiit, hodie propria virtute resuscitatus fuit a mortuis, eum mortis omniumque potestatum dominus esset. Cecidit agnus imbellis, qui obmutescerebat coram mactatore suo; resurgit Leo generosus. Evulsus flos humilis & caducus; resurgit arbor vitæ, cælo ipso sublimior; Conculcatus vermiculus spretus & abjectus, resurgit heros gloria & honore coronatus.

Maximum sane mysterium maximeque dignum in quo fides Christianorum diligenter se exerceat: *JESUM Nazarenum crucifixum ac mortuum, tertia die e mortuis resurrexisse.* Hoc cœlestis doctrinæ caput totiæ fidei Christianæ ac salutis nostræ æternæ fundamentum est. *Quod si enim, inquit APOSTOLUS ad Rom. X. 9. ore tuo confessus fueris Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitaverit a mortuis, salvus eris; Si enim Christus non resurrexisset, vana est fides nostra, & adhuc sumus in peccato, & propterea sub tyrannide Diaboli & æternæ mortis, & sic omnium mortalium, ut ipse Apostolus concludit, miserrimi.* Quibus verbis indicare voluit: nequaquam sufficere homini Christiano, qui vitam æternam consequi cupit, si credat, Christum, salvatorem mundi, sui quoque redimendi causa in hunc mundum venisse, & pro se quoque sanguinem suum sudasse ac mortem appetivisse: Sed necessario quoque requiri, ut idem ex im-



motis sacrarum literarum testimoniis certissime cognoscat, eundem Salvatorem suum in morte non mansisse, sed, devictis hostibus nostris spiritualibus, peccato scilicet, morte, Diabolo & inferno, tanquam victorem & Triumphatorem a mortuis resurrexisse. Quod si enim Salvator noster in morte mansisset, prædictos illos hostes nostros non superasset, sed potius ab iisdem victus fuisset, & sic passio & mors ipsius nil emolumenti nobis attulisset; nos potius in peccatis nostris mansissemus, æternæ morti obnoxii, & sic omnium mortalium miserimi, & fides nostra in Christum inanis quoque esset; docente Apostolo 1 Cor. XV. 18. Vere itaque quondam pronuntiavit AUGUSTINUS: *Non laus fidei Christianorum est, quia credunt, mortuum Christum, sed quia credunt, resurrexisse Christum; Nam mortuum & pagani credunt, & hoc tibi pro crimine obijciunt, quia in mortuum credidisti. Quæ igitur laus tua? Credere resurrexisse Christum, & sperare te resurrecturum esse per Christum; hæc est laus fidei.* En itaque! virtutem non satis deprædicandem gloriosæ resurrectionis dominicæ! per hanc solum operi redemptionis complementum factum. Quando enim in prima promissione evangelii de semine benedicto dicitur, quod caput serpentis infernalis debeat continere, id demum in resurrectione ejus factum esse, invenimus; Ita, ut jam deprædicare possimus: *Hodie consummata est transgressio, peccatum obsignatum, iniquitas expiata, justitia seculorum reducta, visiones propheticæ clausæ unctumque est Sanctum Sanctorum.* Debellavit fortissimus Simson noster hostem, humano generi infestissimum; Resecavit & sustulit portas gehennæ & liberavit omnes captivos. Ademit ille vim omnem peccati, i. e. legis maledictionem, *ut nihil jam damnationis sit in his, qui sunt in Christo Jesu. Quis itaque accusabit adver-*

adversus electos Dei? Deus est, qui justificat. Quis est, qui condemnet? Christus Jesus adest, qui mortuus, imo, qui & resurrexit, qui & sedet ad dextram Dei & interpellat pro nobis. ad Rom. VIII. 1. & 34. Fregit & ille mortis stimulum; Quid ergo amplius tam imbellis adversarii insultus extimescimus? Gaudio itaque hodie exsilimus, exultamus ac præ gaudio exclamamus cum Apostolo: *Absorbta est mors in victoriam.* Ubi, mors, est aculeus tuus? ubi, inferne, victoria? Deo autem sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Ejus enim gloriosa resurrectio nobis certissimam spem fecit nostræ futuræ resurrectionis. Innititur omnis spes nostræ resurrectionis resurrectioni Christi, ita, ut hac posita, illa quoque ponatur; & contra, hac negata, illa quoque similiter negetur. 1 Corinth. XIV. 13. sqq. Ipse CHRISTUS ea propter fortiter animos fidelium confirmat, in spem ac fiduciam erigit, Apoc. I. 18. inquit: *Nolite timere, Ego sum primus atque novissimus, & vivus & fui mortuus, & ecce! sum vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni.*

En, iterum iterumque svavissimum resurrectionis dominicæ fructum! Omnis Angelorum ac fidelium cohors Salvatori nostro magno cum tripudio hodie canit victoriam atque triumphum. Intelligitis procul dubio, O! MEI! quæ nostrarum hic sint partium, quanta nobis non tantum deprædicandi, sed & recipiendi horum beneficiorum incumbat necessitas, quantumque ejus neglectum contemtumque excipiat irreparabile damnum. Agnoscite ineffabilem eorundem magnitudinem; pia devotaque mente gratias agite Salvatori vestro, qui Pontifex vere maximus augustum illud sanctissimumque cælestis solii penetrabile ingressus, non pecudum, sed sui ipsius sanguine,

XIV

sanguine, per tot vulnera sua large fluente, morteque sua acerbissima nos reconciliavit irato Patri; qui sua gloriosa resurrectione viam pandit futuræ nostræ resurrectioni. Scimus enim, quod redemptor noster vivat, & in novissima die nos quoque de terra resurrecturi simus. At, memores sitis, præcedere judicium, quo omnium actionum vestrarum rationem reddere debetis. Agite itaque, ut, qui cum Christo mortui estis peccato atque sepulti, eocum quoque hac luce resurgatis in justitia, & per omnem deinceps vitam in puritate doctrinæ morumque intaminata ambuletis. Non amplius vivite in fermento veteri, in fermento malitiæ & nequitia, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Exhibete Salvatori vestro animos in obsequia flexiles; Deponite perfrictam & præfractam in peccatis committendis frontem. Elatum animi fastum suppressite. Salvator enim vester mitis fuit & ex toto corde humilis; Et denique purus est & casta vult mente vocari. Omnem itaque impuritatem morum abstergite. Sic Deo ac Magistratui vestro eritis grati atque chari; sic fiet, ut, qui cum Christo sepulti estis in baptismo & resurrexistis cum eodem per fidem, tandem in ultima die resurgere possitis in gloria ad vitam æternam.

P. P.

SVB SIGILLO ACADEMIÆ

FERIA PRIMA PASCHATOS

D. X. APRILIS MDCCXLVI.

* * *





8 463.

X2424232







18
1946, 1
8

PROGRAMMA,

QVO

RECTOR ACADEMIÆ GRYPHICÆ,
AUGUSTINUS BALTHASAR,

J. U. D. ET PROF. COD. ET JUR. CAN. ORDIN. FAC. JURID. SENIOR
ET JAM DECANUS, REG. CONSISTORII NEC NON SOCIET.
TEUTON. GRYPH. DIRECTOR,
H. A. SACRÆ CÆS. MAJ. COMES PALATINUS,

AD FESTIVITATEM
GLORIOSÆ RESURRECTIONIS

SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI

PIE AC DEVOTE CELEBRANDAM

CIVES ACADEMICOS

EXCITAT,

ET, SUMTA A SEPULCHRO CHRISTI OCCASIONE,
DE LOCIS RELIGIOSIS

QVÆDAM NOTATU DIGNA ADFERT.

IMPRIMEBAT HIERON. JOH. STRUCK.

